



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 70. Ejusdem Myst. punct. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

ma erit præparatio , & prosecutio orationis.

COLLOQ. Quibus petamus gratiam bene lo-  
quendi cum Deo, & de Deo.

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM,

## MEDITATIO LXX.

*De Conversione Magdalene. Luc. 7,*  
Myſt. punct. 2.

CONG. Ut ſolet.

PRÆL. I. Quomodo mulier illa rigaverit la-  
chrymis, & unixerit pedes Jesu.

PRÆL. II. Intueri locum, in quō Christus diſ-  
cumbebat.

PRÆL. III. Petere gratiam humilis, & veræ pœ-  
nitentiaꝝ, eamque promptè exequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Erat mulier illa  
*ſtans retrò ſecus pedes ejus. Luc. 7.*

INTEL. Mulier illa erat retrò ſtans, reputans ſe  
indignam, quæ faciem Christi aſpiceret: perinde  
ſicut publicanus *nolebant nec oculos ad Cælum  
levare. Luc. 18.* REFL. Hæc ſunt signa veræ pœ-  
nitentis, ad quæ pœnitentiam, & compunctionem  
cordis nostri explorare poſſumus.

VOL. Diſcamus cum pœnitente Davide Ps. 63.  
*Operuit confuſio faciem meam, & indignos nos  
agnoscamus, qui, poſt peccata noſtra, faciem  
Dei aſpiciamus.*

PUN.

**P**UNCTUM II. VERBA. MEM. Recordemur nulla  
verba pœnitentis illius mulieris referri ab  
Evangelistâ.

INTEL. Ratiocinemur, quod *lacrymae pondera  
vocis habent*, & loquebatur cogitationibus suis,  
quas Christus intelligebat: & haud dubiè hæc vel  
similia tacitè Christo dicebat: *Cor contritum, &  
humiliatum Deus non despicies.* Ps. 50. REFL. Tales  
voces interiores deberent cordibus nostris in  
sculptæ esse.

VOL. Punctum hoc, invitat nos ad pœnitentiam,  
dicamus itaque Psalmum 50. *Miserere  
mei Deus. &c.* conjungentes pœnitentiam no-  
stram cum pœnitentiâ illius mulieris.

**P**UNCTUM III. OPERA. MEM. Mulier illa, *lacry-  
mis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capit is  
su i tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguen-  
to ungebat.* Luc. 7.

INTEL. Omnia hæc, demonstrant perfectam  
contritionem, ortam ex charitate erga Christum.  
REFL. Nos singula illa amoris opera nobis appli-  
cemus.

VOL. Effundamus nos totos, in contritionem,  
& in amorem erga Christum: *ut ipsi serviam, in-*  
*quit S. P. Noster, & adhærescam tantò propen-*  
*sius; quanto incredibiliorem erga me bonitatem*  
*ejus perspexero.* talia in matutina congrua cogi-  
tatione sœpè revolvamus, & exemplo hujus mu-  
lieris, etiam opere ipso demonstremus.

COLLOQ. Conformia primæ hebdomadæ.

RECOLLECTIO.

ME.